

285

DISPUTATIO JURIDICA  
De  
**EFFECTIS SIVE**  
**POENIS INJURIARUM.**

M 29  
3

Quam  
DEO TRIUNO ANNENTE  
*Œtorum Amplissimâ Facultate consentiente*  
*in Illustri Witteberga.*

1635 2

SUB PRÆSIDIO  
*Viri Amplissimi, Consultissimi atq; Excellentissimi*

12/

**DN. HENNINGI Grossen / J. U. D.**  
& Prof. Publ. Juridicæ Facultatis DECANI Spe-  
ciatissimi, Curie Electoralis, nec non Judicij Infer. Lusat. Ad-  
fessoris gravissimi, & Sereniss. Viduæ Elect. Sax. in Lichtenburgk  
&c. Consiliarij, Dn. Præceptoris, Fautoris, ut & affi-  
nis sui devoto honoris cultu atq; am-  
colendi.

*Publicè trutinandam proponit*


**CAROLUS FRIDERICUS SECK**  
Berlinensis Marchicus.

*Ad diem 14. Octobr. horis matutinis.*  
*In Auditorio Œtorum.*

---

WITTEBERGÆ,  
Excusa typis AMBROSII ROTHII Acad. Typogr.  
ANNO M. DC. XXXV.





V I R O

*Magnifico, Nobilissimo, Consultissimo, Am-  
plissimo atq; Excellentissimo*

**DN. ANDREÆ KHOLEN,**  
Serenissimi & Potentissimi Principis &  
**DN. DN. GEORGII WIL-**  
HELMII Electoris Brandenburgici &c.

PRO-CANCELLARIO  
Spectabili; Patrono &  
Fautori meo summo:

*nec non*

V I R O

*Clarissimo atq; Doctissimo*

**Dn. JOHANNI Krausen/ LL. peri-**  
tissimo; Affini suo plurimum honorando.

*Hanc disputationem publicam  
submissè offert & dedicat*

Autor & Respondens.

In nomine Domini nostri

JESU CHRISTI ad omnia consilia omnes-  
que actus semper progredimur l. 2. c. de Offic.

Præf. Prætor. Afr.



Ultis procul dubio adhuc in recenti  
memoria erit, me continuationem  
materie injuriarum in nuperâ di-  
sputatione de injuriis promississe,  
cui promissioni ut satisfaciam na-  
turalis ratio svadet, promissa enim faciunt debi-  
ta, debita verò sunt solvenda. Facere itaq; nō pos-  
sum, quin ea, quæ semel pollicitus sum, præstem.  
Fiat igitur initium.

THESIS I.

Effecta injuriarum sunt poenæ, quæ injurianti im-  
ponendæ sunt, & ut magna ratio (a) svadet, imponi de-  
bent (b). Priusquam autem reus poena afficiatur, actio  
instituenda est ab injuriato, alias reus impunitus ma-  
net. (c)

(a) l. si à reo 70. §. ult. ff. de fidejussor. & mandat. (b) secun-  
dum l. ita vulneratus 51. §. ult. vers. quod si quis. ff. ad L. Aquil. l. in  
quacung; i. in princ. & l. fin. §. penult. C. de custod. rer. l. ut ii, qui  
deliquerunt, emendentur l. si poena 20. in fin. ff. d. poenis; hoc tamen  
tunc procedit, cum videlicet ea poena irrogatur, quæ vitam non  
adimit, Duarenus in comment. ff. ad tit. d. poenis cap. 1. Goeddaus in  
tit. ff. de Verb. Significat. ad l. 131. aliud fraus est num 23. II. ut poe-  
na de-

na delinquentium alios meliores reddat, vel: exemplo alii terrentur, *l. si operu* 14. *C. de pœnis. l. si quis fortè. 6. §. 1. in fin. ff. hoc tit. d. l. capitalium* 28. *§. famosas* 15. *b. t. l. unius pœna* 1. *in princ. C. ad L. Jul. repetund. l. quoniam servos* 7. *in fin. C. ad L. Fab. de plagiar. l. si unus* 27. *§. 4. ff. de pactis.* Hinc illud Platonis apud Senecam *lib. 1. de ira cap. 16.* Nemo prudens punit, quia peccatum est, sed ne peccetur. Revocari enim præterita non possunt; futura prohibentur. & Seneca *lib. 2. de ira cap. 31.* Ad præteritum nunquam, sed ad futurum pœna refertur: non enim irascitur, sed cavet.

(c) Ratio hæc est; quia est delictum privatum juxta *l. injuriarum causa* 7. *l. si quando* 11. *C. de injur. de delicto autem privato* judex non cognoscit nisi parte læsâ instante *§. in summa sciendum* 10. *in princ. Inst. de injuriis.*

## II.

Quemadmodum autem de aliis privatis delictis, ita etiam de omni injuriâ illatâ, sive illa sit realis, sive verbalis, sive sit atrox, sive levis, actio vel civiliter vel criminaliter (a), (prout JCTi clarissimi communiter (b) concludunt,) institui potest.

(a) *§. in summa sciendum* 10. *Inst. tit. de injuriis l. si quis actionem fin. ff. de privat. delict. l. prator. 7. §. posse 6. l. constitutionibus* 37. *§. 1. ff. de injuriis & famos. libell. l. ult. C. eodem.*

(b) Giphanius in *Inst. tit. de injur. §. pœna autem & §. atrox injuria vers. hoc videlicet.* Justus Mejerus in *tit. ff. de injur. & famos. libell. num. 28. in princ. Oldendorp. Action. Forens. class. 7. act. 10. num. 5. Berlichius conclus. practicab. conclus. 61. de pœnis injuriarum parte 5. Vultej. in Inst. tit. & §. antea dicto num. 1. & seq. item in Jurisprud. Rom. lib. 2. c. 19. n. 47. Wesenbec. in parat. tit. de injur. num. 14. item in Inst. tit. d. §. in summa 10. sub lit. a. b. Andr. Gail. lib. 1. Observ. practic. Observ. 65. incipit pro injuria num. 1. & seq. Jul. Clarus lib. 5. Sent. §. injuria num. 4. ibi scire debes. & alii.*

## III. Civi-

Civiliter, auctore ad animum revocatam injuriam æstimante (a), ac judicem, ut reum in æstimationem illam condemnet, eamque sibi adscribat & adjudicet, salvâ tamen ejus taxatione & moderatione, petente.

*In Inst. tit. de injur. §. in summa sciendum 10. vers. si quidem civiliter l. constitutionibus 37. §. 1. ff. de injur. & famos. libell. Gail. lib. 1. Obs. practic. Observ. 65. & lib. 2. observ. 102. num. 9. & 10. Oltendorp. action. forens. class. 7. act. 10. num. 5. Schneid. in §. supra dicto Inst. cum aliis interpret.*

(a) Hic non immeritò quæritur, an actor necessariò æstimationem injuriæ in libello exprimere debeat, an verò etiam judici æstimationem relinquere possit? Ego cum VVesenbecio *in parat. ff. de injur. & famos. libell. num. 15. sub lit. D. E. & Schneidewino in Inst. tit. de injuriis §. pœna autem 7. num. 4. facio, qui tutius esse putant, si pars læsa æstimat injuriam & certam quantitatem in libello exprimit, salvâ tamen taxatione judicis, qui pro qualitate facti & circumstantiarum, nimirum secundum personæ gradum, dignitatis vitæque honestatem, eam æstimationem moderatur, & in quantum scilicet ei æquum videtur, taxat, §. pœna autem 7. tit. de injur. in inst. l. sed. si unius 17. §. 2. 3. & §. ff. de injur. & famos. libell. l. perspicindum 11. in princ. l. interpretatione 42. ff. de pœnis. taxatâ actori juramentum defert, quo præstito procedit ad sententiam definitivam definiendo & judicium ferendo *arg. l. si non fuerit 37. & l. seq. ff. de jurejurando. Gail. lib. 2. Observ. pract. observ. 102. num. 10. & seq. qui dicit ita ubique observari in foro. Lud. Gilhaus. in comment. de injur. §. 9. num. 43. Berlichius part. 5. conclus. pract. conclus. 61. n. 83. & seq. Jul. Clarus lib. 5. Sent. §. injuria num. 6. Binsfeld. in rub. notab. 11. de injur. & damno dato. & Schneid. loco supra a leg. ubi etiâ hanc sequentem quæstionem movet, (utrum debeat actor sese referre ad damnû, id est, quod dicat se maluisse perdere centum Joachimicos de bonis suis, quam talem injuriam subire: vel ad lucrum, quia nollet lu-**

crari vel accipere centum Joachimicos, quam talem injuriam  
 perpeti,) putat autem veriore esse sententiam, quod fieri relatio  
 vel ad lucrum vel ad damnum possit, admonitionemq; Joh. Fa-  
 bri subjicit: ut actor in usum causarum & stylum curiarum, qui  
 pro lege servandus. l. 2. C. quemadmod. testamen. l. si quando 3. C.  
 d. bonis vocantib. sedulo inquirat, ne libellus propter omissionem  
 istorum verborum lucri vel damni à judicibus rejiciatur. Ulte-  
 rius hinc controvertitur, num poena pecuniaria, si condemnatus  
 actione injuriarum solvendo non sit, in corporalem mutari pos-  
 sit? Affirmo per l. si quis 7. ff. de jurisdic. ubi Ulpianus aperte re-  
 spondet: eos, qui propter inopiam poenam, edicto Praetoris constitu-  
 tam, solvere non possunt, corpore torquendos esse. Idem Juriscon-  
 sultus in l. 1. §. fin. ff. de poenis inquit: Generaliter placet, in legi-  
 bus publicorum judiciorum, vel privatorum criminum, quæ ex-  
 tra ordinem cognoscunt, præfecti vel præsides, ut eis, qui poenam  
 pecuniariam egentes eludunt, coercionem extraordinariam  
 inducant. His legibus contentit l. 35. si quis ff. d. injur. & fam.  
 libell. fin. ff. de injus voc. l. qui ades 9. ff. de incend. ruin. naufrag.  
 & c. l. ult. circa finem C. d. sepulchr. viol. & multæ aliæ leges. Dein-  
 de etiam ratio hujus satis est perspicua, quia delicta alias mane-  
 rent impunita, & pauperibus daretur occasio honestos viros in-  
 juriis afficiendi; ut qui scirent nulla poenâ affici posse. Jam verò  
 Reipublicæ interest delicta puniri l. 51. ff. ad L. Aquil. Hunnius  
 in resolut. ad Treutl. vol. 2. disput. 30. tb. 6. quest. 45. Unde illud  
 de trivio; qui non habet in ære luat in corpore.

#### IV.

Criminaliter; actore poenam fisco applicari pe-  
 tente.

S. d. in summa sciendum 10. vers. fin autem in Inst. tit. d. inju-  
 riis ibiq; glossa & Schneid. num. 1. aliique interpretes. l. ult. ff. de in-  
 jur. & famos. libell. Goeddæus part. 3. disput. 14. tb. 12. lit. A. Dua-  
 ren, in comment. ad tit. de injur. & fam. lib. cap. 4. Wesenbecius in  
 parat. tit. eod. num. 14. Vultej. lib. 2. Jurisprud. Rom. cap. 19. num.  
 52. & in Inst. §. poena autem 7. num. 5. Oldendorp. Action. Forens.  
 class.

class. 7. act. 10. num. 5. vers. *sin autem*. Just. Mejerus in rit. de injur. & fam. lib.

Hæc pœna, ut civilis, diligenter pro modo sive qualitate delicti, & dignitate personarum, aliarumque ratione circumstantiarum, à judice, ne quid durius aut remissius constituat, æstimanda est. Ratio autem, cur hæc pœna in arbitrio judicis posita sit, hæc est: quia à lege pœna taxata non est, quando autem pœna à lege taxata non est, tunc relinquitur arbitrio judicis. Num autem judex in actione injuriarum arbitrium suum extendere possit ad pœnam mortis naturalis inclusivè? disquiritur. Et posse concludo per glossam §. in summa sciendum 10. in verb. extraordinaria in Inst. tit. d. injur. quam etiam major pars Jurorum Clarissimorum approbat: Mynsing. in Inst. §. d. in summa sciendum 10. tit. de injur. num. 3. ibiq; Schneid. n. 7. Borcholt. & alii Interpretes. Vultej. lib. 2. Jurisprud. Rom. cap. 19. num. 52. & Inst. d. §. & tit. n. 5. Wesenbec. in parat. ff. de acquirend. rer. dom. ferè in fine numeri 7. Item ff. de procurator. & defensoribus num. 5. sub lit. C. Berlich. part. 5. conclus. practicab. conclus. 61. num. 56. Item conclus. 66. num. 8. Fachin. lib. 9. controvers. jur. cap. 45. Binsfeld. in rubr. notab. 12. de injuriis & damno dato. & alii quam plurimi ab his adducti cum suis rationibus. Dummodo delictum sit ita grave consideratis (pro ratione personæ, cui & à quâ infertur, pro ratione loci, in quo fit, & pro ratione temporis) ipsius facti circumstantiis, ut pœnam capitis ultimumve supplicium mereatur.

### V

Intentatâ autem actione criminali corrumpitur civilis & vice versa intentatâ civili corrumpitur criminalis.

*l. quod Senatusconsultum 6. in fin. ff. de injur. & fam. lib. ibiq; glossa communiter approbata.*

Ratio hæc est: quia utraque actio tendit ad vindictam, non ad persecutionem rei familiaris seu damni pecuniarii: ac proinde meritò una alterum tollit, *l. 2. §. emancipatus. 4. ff. de collat. l. 15. 46. ff. de injur. & fam. lib. l. 10. §. 2. si quis cautionibus. l. 7. vers. actione verò. C. de revocand. donat. ibiq; vide notas Gothofredi. Johan. Odlendorp. Action. Forens. classe 7. act. 10. num. 5. Vultej. in Inst.*

*§. pœna*

§. pena autem 7, à num. 7. usq; ad 8. tit. de injur. Rittershus. in Inst. tit. de injur. statim in principio ut & in fine tituli. Francisc. Baldwinus, Mynsing. VVesenbec. & alii interpretes ibidem. Idem autor in parat. num. 14. in pr. ff. de injur. & fam. lib. Mynsing. cent. 2. Obs. 98. vers. quod si actio injuriarum; idque notum esse affirmat Andr. Gail. lib. 1. Observ. practic. observ. 65. num. 1. vers. sed quoniam & num. 2. in fine. Binsfeld. in rubr. notab. 10. de injur. & damno dato. Berlich. conclus. practicab. conclus. 61. part. 5. de poenis injuriarum num. 2. Et elegantissimè hoc tractat Anton. Tessaur. decis. 18. num. 3. & seqq. Marant. in part. 4. d. 1. n. 9. ubi hoc exemplum ponit: Si aliquis dat alicui alapam, vel dicit verbum injuriosum, nullum facit damnum injuriam passo, & tamen ex tali delicto injuriarum potest agi de jure communi civiliter & criminaliter, & utraque civilis & criminalis tendit ad vindictam, quia nullum damnum passus fuit agens: tunc una per aliam tollitur; cum non sit æquum idem admissum pluribus legibus puniri. l. senatus 14. ff. de accusation. l. sanctio 41. in fin. ff. de poenis. Mynsing. in Instit. d. tit. & §. num. 4. Ante tamen actionem inceptam, est in electione agentis, quam velit intentare civilem vel criminalem, uti ex thes. 2. patet. Limitat tamen hanc Regulam Antonius Thesaurus d. decis. 18. num. 7. 8. 9. 10. & seqq. quem, qui vult, legere potest. Ego breviter ita comprehendo & distinguo: Aut ex uno facto plures oriuntur actiones; aut ex pluribus factis. Si ex pluribus factis; tunc unius facti poena non minuit poenam alterius, cum nunquam plura delicta concurrentia faciunt, ut ullius impunitas detur, neque unum delictum minuit poenam ob aliud delictum admissum, sed interest publicè nullum impunitum, relinqui l. 51. ff. ad L. Aquil. Si verò ex uno facto, tunc aut ad eundem finem respiciunt, aut ad diversos. Si ad diversos: ut hæc ad vindictam, illa ad persecutionem rei familiaris & emendationem damni ex L. Aquil. tunc una non tollitur alterâ. In separatis n. uno remisso, non statim tollitur & alterum l. prator. 7. §. 1. vers. quid ergo l. item apud 15. §. si quis servo 46. l. si stuprum 25. ff. de injur. & famos. lib. 1. sed etsi 5. §. injuriarum 1. ff. ad 1. Aquil. l. 2. l. morte 3. C. eodem. Schneid. ad §. in summa sciendum 10. in Inst. tit. de injur.

*injur. num 4.* Si ad eundem finem: tunc videndum; num injuria uni saltem sit illata, an verò duobus vel pluribus. Si posterius tunc regula, nempe; quod una actio alteram tollat, locum non habet. Sin verò prius; tunc locum habet.

## VI.

Olim injuriarum actio dabatur ex lib. XII. tab. Ob membrum ruptum talio (a) erat: Ob os fractum aliasq; reales & verbales injurias nummaria pœnæ constitutæ (b) erant: Ob libellum sive carmen pœna capitis (c) aut fustium. Hæc postrema pœna etiam probatur in l. ult. C. de famos. libell. Cæteræ in desuetudinem abierunt (d), ejusque loco actio ex edicto Prætoris arbitraria introducta est. Tulit etiam Cornelius Sylla legem de injuriis, & actionem ob realem injuriam his tribus duntaxat casibus; puta, si quis se pulsatum, vel verberatum, domumve suam vi introitam esse dixerit, dedit (e). Accessit & hisce moribus actio, qua agitur ad palinodiam sive revocationem seu recantationem, *die Klage auf einen Widerruf*, & quidem civiliter (f), non criminaliter.

(a) Talio parem sive reciprocam pœnam significat, ut Imperatores loquuntur, in l. 2. C. Theodos. de Exhib. & transmitt. reis l. ult. C. Theodos. de Accusation. Græci nominant *ἀντιπαροδοῦς* quasi reciprocam passionem à verbo *ἀντιπάσχω*, quod significat vicissim patior. Habet autem hæc pœna originem suam à naturâ secundum Ciceronem lib. 2. de inventione cap. 5. & 12. nec non ab ipso DEO sancita & populo Judaico præscripta est, Deuter. cap. 19. v. 21. Levitic. cap. 24. v. 20. Exod. 21. vers. 24. 25. Matthæi cap. 5. v. 38. Harprecht. in Inst. sub §. pœna autem 7.

(b) Hac de re eleganter Francisc. Balduinus in annotationibus in leges XII. tab. leg. 53. 61. & 62. & A. Gellius lib. 20. Noct. Attic. c. 1. & Hotomannus ad §. pœna autem 7. in Inst. tit. de injur. qui & verba XII. tab. referunt, & omnia latè diligenterq; explicant.

B

(c) De

(c) De hac materiâ famosi libelli multa hoc loco dicenda venirent, verum ego mihi istam materiam ob certas quasdam rationes usque in aliud commodius tempus reservabo.

(d) Causa fuit eorum abusus, abutebantur enim nonnulli legibus XII. tab. præsertim verò nummariâ, sicut Labeo refert de Neratio quodam, qui viginti quinque assibus datis voluptatem percipiebat, si liberi hominis os depalmasset, teste Gellio libr. antea dicto Noct. Attic.

(e) *In Inst. tit. de injur. §. sed & lex Cornelia §. l. lex Cornelia §. in princ. ff. tit. eodem Borcholt. in Inst. tit. & §. dicto, ubi differentias inter actionem ex edicto Prætoris, & inter actionem ex lege Corneliâ descendente ponit, recenset autem inter alias & hanc: Quod actio injuriarum ex lege Corneliâ descendens sit publica accusatio vel publicum judicium, ac proinde criminaliter intentetur. Prætoriam autem injuriarum actio sit privata vel privatum judicium; atque civiliter intentetur. Verum hanc differentiam subsistere posse meritò dubito cum Rittershusio in *Inst. tit. de injur. §. supradicto*. Tum propter *l. injuriarum causa 7. & l. ult. C. de injur.* ubi in genere de omni injuriæ causa dicitur, eam non publici judicij sed privati querelam continere. Tum propter *l. licee 42. §. 1. ff. de procurator.* ubi legis Corneliæ actio expressè privata esse dicitur.*

(f) *Juxta Forsterum part. 1. disp. 18. controvers. 33. Wesenb. consil. 22. num. 18. Freher. in tract. de existimat. lib. 2. cap. 9. num. 4. Gilhauf. in comment. de injur. & fam. lib. §. 9. num. 17. cum seqq. Wesenb. in parat. ff. de injur. & fam. lib. num. 18. Vultej. lib. 2. Jurisprud. Rom. cap. 19. num. 53. & Inst. tit. de injur. §. pœna autem 7. num. 6. Borcholt ibidem Treutl. disp. 30. sub tb. ult. lit. A. vol. 2. ibique Hunnium in sua resolut. quest. 46. & Bachov. in suis notis. Hœnon. disput. 18. controvers. 33. Berlich. part. 5. conclus. practicab. conclus. 62. num. 10. & alios JCtos Clarissimos rationibus firmissimis instructos, quorum argumenta hic non incongruè adduci possent, nisi prolixitas prohiberet.*

VII.

Præter dictas pœnas condemnatus injuriarum, etiam sustinet infamiæ pœnam (a)

l. ju.

*l. iudicii 42. l. prator edixit 7. ff. de injur. & famos. lib. 1. arbletas*  
*4. §. fin. l. furti 6. §. 1. l. princ. ff. de his qui notantur infamia. l. in-*  
*juriarum 10. ex quib. causis infamia irrogatur l. infamem. 7. ubi Dd.*  
*ff. de public. judis. nisi iudex condemnato injuriarum expresse exi-*  
*stimationem reservet, quod ex causa fieri potest & stylo Curiae,*  
*qui pro lege servandus, ita receptum est, simulque in praxi quo-*  
*tidiana observatur. Gail. lib. 1. Observ. practic. Observ. 65. num. 7. &*  
*lib. 2. Observ. 102. num. 1. Wesenb. cons. 22. num. 26 & in parat.*  
*ff. de injur. & famos. lib. num. 18. & de his qui notantur infamia. num.*  
*9. Freher. in tract. de infamia lib. 2. cap. 9. num. 2. Vultej. ad §. pœ-*  
*na autem 7. Inst. de injur. num. 9. Treutler. Eucleatus part. 2. disp.*  
*30. tb. fin. lit. D. aut nisi injuria sit minima; veluti si quis alterum*  
*vocaverit rusticum, indoctum, deformem &c. ex quâ conde-*  
*mnatus (quod tamen Hunnius cum aliis JCtis clarissimis negat in*  
*resol. ad Treutl. vol. 2. disput. 30. tb. ult. quest. 50) non fit infamis:*  
*Serferus disput. 29. de injur. tb. 7. sub lit. b. Ratio illa est; quia*  
*pœna non major esse debet delicto, l. Pedius 4. §. 1. ff. de incend.*  
*ruin. & naufrag. l. miles 11. §. mulier 12. in fine ff. ad L. Jul. de Adul-*  
*teriis. l. sancimus. 22. C. de pœnis l. aut facta 16. ff. eodem. Jam verò*  
*infamiae pœnam gravissimam esse pœnaeque mortis æquiparari*  
*certò certius est l. justa 9 ff. de manumissis vindicta. l. isti quidem 8.*  
*§. penult. ff. quod metus causagest. &c. l. si adulterium 38 §. finali ff.*  
*ad L. Jul. de adulteriis. Deinde pro opinione nostrâ hoc facit ar-*  
*gumentum: Quod nemo infamiae maculâ notatus, decurionis*  
*officio fungi potest. & l. spurii 6. §. qui iudicii publ. ff. de decurioni-*  
*bus. l. infames. C. de infamib. Sed ob levem injuriam damnatus in*  
*ordine decurionum esse potest per l. Divus 40. ff. de injur. & famos.*  
*libell. ubi notatur atrocis injuriae damnatum in ordine decurio-*  
*num esse non posse. Ergò à contrario sensu non atrocis, sed levis*  
*cujusdam injuriae condemnatus ab ordine decurionum non re-*  
*pellitur & consequenter infamiam non contrahit. Plures qui vult*  
*rationes videat, Harpprecht. in Inst. tit. de injur. §. in summa scien-*  
*dum 10. num. 93. 94. 95. 96. & seqq. ego illas hîc enarrare nolui.*

(2) Qui scire desiderat quibus modis infamia evitari possit,  
videat Wesenbecium in parat. ff. de his qui notantur infamia num.

9. Hunnium *in resolut. ad Treutl. vol. 2. disp. 30. rh. ult. quest. 50.*  
& Geilium *lib. 2. Observ. practic. Obs. 102. & 103. num. 1.* ego il-  
lam materiam prolixitatis evitandi gratia supersedeo.

### VIII.

Facile & variè perit injuriarum actio atque extinguitur (a) imprimis autem sequentibus modis; 1. Dissimulatione (b). 2. Præscriptione seu lapsu anni (c). 3. Jurejurando (d). 4. Pacto sive transactione (e). 5. Satisfactione (f). 6. morte (g).

(a) Ratio cur tam facile injuriarum actio extinguatur, obscure indicatur, per *l. non solum 11. §. 1. ff. de injur. & famos. libell.* quia, ut Ulpianus inquit, ex æquo & bono est, id est; quia hæc actio ex gratiâ seu favore potius datur, ad honoris & famæ tuitionem, quam ex causa civili, puta contractu, aut furto, vel damno pecuniario &c. sive quia non ad rem familiarem aut pecuniam, sed ad meram vindictam, quæ odiosa est, & ultionem persequendam pertinet *l. Prator edixit. 7. §. 1. vers. at in actione ff. de injur. & fam. lib. 1. 2. §. emancipatus 4. ff. de collat.* Giphanius & Rittershusius *in Inst. tit. de injur. §. hæc actio 12.*

(b) *In Inst. tit. de injur. §. hæc actio 12. l. non solum 11. §. 1. ff. tit. eodem.* qua quis injuriam sibi illatam non statim ad animum revocat, sed eam quoquo modo vel negligit, vel prorsus vult esse sopitam, exempli gratia; familiari salutatione, convivatione, aut similibus actibus. Si verò injuriam continuo ad animum revocaverit, licet post vocationem in jus injuriantem salutet, vel ei dextram porrigat, vel bibat & edat cum eo similesq; actus familiaritatis exerceat, non tamen actionem, sed duntaxat rancorem, uti Dd. loquuntur, & odium animi remisisse censetur; sæpè enim fit, ut istiusmodi familiaritatis actus honoris causa per injuriatum omitti nequeant. Vultejus *in Inst. tit. de injur. §. d. hæc actio 12. num. 5. ibid.* Harpprecht. *num. 1.* & Borchoit alii- que interpretes. Panormitanus *in c. olim 7. post. num. 6. vers. tandem.*

eadem concludit h. tit. Bocerus *class. 3. disp. 4. ib. 76.* Berlichius *part. 5. conclus. practicab. conclus. 70. num. 18. cum aliquot sequentibus.* Si autem semel actio dissimulatione extincta est resuscitari nequit. Turpe enim & adversus humanitatem, communemque pacem esset, repeti quod semel condonatum est. Jam verò dissimulationem esse quandam injuriæ condonationem in propatulo est, uti rectè tradunt Hotomannus *in Inst. tit. de injur. d. §. hac actio 12. enunciat. 2.* & Rittershusius *jam d. tit. §. §.*

(c) Si injuriatus contra injuriantem intra spatium anni actionem injuriarum non instituat, sed illud præter currere patiatur, postea verò injuriarum agere velit, non audietur *l. si non convicii §. ibiq. glossa communiter approbata C. de injur. l. 17. §. 6. in fin ff. d. tit.* Clarus *lib. 5. sent. §. injuria. num. 9.* Berlichius *d. part. 5. conclus. practicab. conclus. 69. num. 1. & 2. nec non decis. aurea 86. num. 5. cum seqq.* Hic variae controversiæ inter Dd. ortæ sunt: I. est: utrum annus iste, quo actio injuriarum tollitur continuus sit, an utilis: id est utrum annus iste currat vel computandus sit à die sive tempore illatæ injuriæ, an verò à tempore scientiæ? ego posterius affirmantibus assentior motus, quod hæc sententia in supremo imperii judicio, praxique (à quâ non facilè recedendum, cum consuetudo & usus optimus sit legum interpret *l. si d. interpretatione 37. ff. de legibus*) recepta sit, & quidem non sine prægnantibus rationibus, quas videre licet apud Harpprecht, *in Inst. tit. de injur. §. hac actio. 12. num. 35. 36. 37. & seqq.* Geil. *lib. 2. Observ. practic. Observ. 105. num. 1.* Gilhaus. *in comment. de injur. §. II. num. 2. & 3.* Fachin. *lib. 9. controvers. jur. c. 8.* Hunn. *in resolut. ad Trentl. vol. 2. disp. 22. ib. 4. quest. 20.* Binsfeld. *in rubr. notab. 16. de injur. & damnato.* Berlich. *part. 5. conclusione practicab. conclus. 69. num. 19. cum seq. & alii per hos citati.*

II. Utrum omnes actiones dicto anno tollantur? ego cum illis facio, qui saltem actionem generalem ex edicto Pratoris institutam, non verò specialem sive civilem actionem injuriarum

ex L. Corneliâ de pulsatione, verberatione, aut introitu in do-  
 mum, descendente anno tolli dicunt: Mynsinger. cent. 1. Observ.  
 84. & cent. 5. Observ. 7. num. 8. & in Instit. §. sed & lex Cornelia 8.  
 de injuriis ibidem, Schneid. num. 3. VVesenbec. consil. 22. num. 6.  
 & 7. ad finem part. 1. Duaren. in comment. ad hunc tit. c. 2. Clar. lib.  
 5. sentent. §. injuria num. 9. Gœddæus part. 3. disput. 14. th. 15. Gil-  
 hauf. in comment. de injur. & famos. libell. §. 11. num. 5. & seq. Fa-  
 chin. lib. 9. controvers. jur. c. 7. Hœnonius disput. 18. controvers. 31.  
 & 32. Berlich. conclus. practicab. conclus. 69. num. 30. Hunn. in reso-  
 lut. ad Treutl. vol. 2. disput. 22. th. 4. quest. 19. Bachov. in notis &  
 animadversionibus suis ad eundem Treutl. vol. 2. disput. 30. th. ult.  
 sub lit. E. F. G. & alii per eos alligati. Utuntur autem hæc ratio-  
 ne: quia omnes actiones ex legibus, Senatusconsultis & consti-  
 tutionibus descendentes, sive pœnales sint, sive rei persecutoriæ,  
 sunt perpetuæ, hoc est; non minore, quàm triginta vel quadri-  
 ginta annorum spacio extinguuntur: quæ verò ex edicto & juris-  
 dictione Prætorum originem trahunt, regulariter sunt annuæ per  
 princip. tit. de perpetuis & temporalibus action. in Inst. l. in honorari-  
 is 35. ff. de Obligat. & Action. l. sicut 3. & l. omnes 4. C. de præscript.  
 trigin. vel quadrig. annorum. Harpprecht. in Inst. d. injur. §. hæc a-  
 ctio 12. num. 3. & 4. & seqq.

III. Quoniam dixi non omnes actiones anno tolli, alteri-  
 us quæritur, num etiam actio injuriarum recantatoria & injuriæ  
 scriptæ annalis sit? Primum quod attinet, nempe actionem  
 injuriarum recantatoriam illam, licet sit civilis, annalem esse  
 usus fori approbavit, consentit Vultejus in Inst. tit. d. injur. §. pœ-  
 na autem 7. num. 8. ubi mox subjicit, (ut ad secundum accedam)  
 injuriam scriptam perpetuam esse, quod ego nego & negare co-  
 gor, quoniam illam in corollario primo disputationis meæ præ-  
 cedentis sub verbali numeravi, verbalis autem injuriæ actio tan-  
 tum est annualis si non convicii §. C. de injur. Deinde quoniam ci-  
 viliter instituta Prætorum est l. quod Senatusconsultum 6. vers. cate-  
 rum ff. de injur. & fam. lib. ideoque annalis l. in honoris 35. ff. de  
 Obligat. & Action. in Inst. tit. d. de perpet. & temporal. action. Harp-  
 precht. in Inst. tit. de injur. §. d. hæc actio 12. num. 18. 19. 20. VVe-  
 senbecius

Wesenecius *conf. 22. num. 6. & seq.* idem autor *in supplem. ad Job. Schneidvv. in §. injuria 1. num. 1. lit. b. in fin.* ubi excipit famosum libellum, cujus poena quia gravior est simplici injuria, ita & actio ex eo descendens, non tam brevi tempore, ut illa tollitur. Ratio diversitatis hæc est; quia non ex jure Prætorio quod annale, ut supra probatum est, sed ex Constitutione Cæsareâ in *l. unica C. de famosis libellis*, vindicantur & puniuntur. Cognitum verò est, quod actio ex Constitutione alicujus Principis proveniens sit civilis & perpetuò duret, *in Inst. tit. d. de perpet. & tempor. action.*

(d) Ut; cum reus juret, se non animo injuriandi dixisse vel fecisse *l. lex Cornelia §. hac lege permittitur 8. & l. non solum 11. §. 1. in fin. ff. de injur. & fam. lib. l. quacung; 3. §. 1. l. jusjurandum 34. ff. de jurejurando. l. non damnatos 18. C. ex quibus causis infamia irrogatur. l. furti 6. §. sed etsi 4. ff. de his qui notantur infamia. Gail. lib. 2. observ. practic. Observ. 106. num. 5. Harprecht in Inst. tit. de injur. §. hac actio 12. Schneid. ibid. num. 3.*

(e) Puta, si is qui injuriam fecit paciscatur cum injuria affecto tum ipso jure tollitur ex *lb. 12. tab. d. l. non solum 11. §. 1. l. sed si unius 17. §. si ante 6. ff. de injur. & famos. libell. l. si tibi 17. §. 1. ff. de pactis. ibid. VVeseneb. in parat. num. 6. Harprecht in Inst. d. tit. & §. Vultej. ibid. num. 1. Schneid. num. 3. Mynsing. num. 3. aut transigat *d. l. non solum 11. §. 1. vers. proinde ff. de injur. & fam. lib. l. post decisionem 13. de furtis l. interdum 56. §. 4. & l. si pignore 54. §. fin. ff. eod. VVeseneb. in parat. ff. de transactionib. num. 5. & de his qui notantur infamia num. 8. Harprecht, Vultej. Schneid. Mynsing. locis jam dictis.**

(f) Si nimirum solutum erit, quod injuriæ nomine peti poterat *l. sed si unius 17. §. d. si ante judicem ff. de injur. & famos. libell. & Harprecht, Vultej. Schneid. l. d.*

(g) Quoniam mors omnia solvit *l. in sententiis 58. §. ult. ff. de re judic. Novell. 22. c. 20. in princ. ibig; vide notas Gothofredi. Et quidem tam injuriantis quam injuriati ante litem contestatam, argument. l. injuriarum 13. in princ. l. item apud 15. §. injuriarum 14. ff. de injur. & famos. libell. l. si eum 10. §. 2. ff. quis cautionibus. l. omnes 26. l. sciendum 58. ff. de Obligat. & Action. l. 3. in princ. ff. de feriis.*

Civilis

Civilis tamen morte agentis sive injuriati, non verò criminalis, quæ etiam post litis contestationem morte rei sive injuriantis omninò tollitur *l. defuncto. 6 ff de public. judic. l. ult. ff ad L. Jul. Majest. l. unic. C. ex delict. defunct. l. 1. 2. & 3. & tot. tit. C. si reus vel accusator mort. fuerit.* Vultejus §. 1. *Inst. tit. de perpet. & tempor. action.* Illà etenim hæres offensa seu injuriati suo nomine adversus injuriantem experiri potest ob justum dolorem, quem ex injurià defuncto irrogatà contraxit *arg. l. 1. §. usq. adeò 5. ff. de injur. & fam. lib. l. 1. 2. & 3. ff. de liberali. caus.* Et ita Barthol. quem alii & communis judiciorum stylus sequitur, docet *in l. fin. num. 8. ff. de privatis delict. & l. 1. §. fin. & l. Cornelia 5. ff. de injur. Wesenbec. consil. 22. num. 2. 6. & 16. part.*

1. Schneid. *in Inst. tit. & s. d. item*  
Harpprecht *tit. &*  
*s. d.*

SOLI DEO GLORIA.



Wittenberg, Diss., 1634-39


ULB Halle 3  
005 151 511



TA → OL

VDA7







285

DISPUTATIO JURIDICA  
De  
**EFFECTIS SIVE**  
**POENIS INJURIARUM.**

M 29  
3

Quam

1635 2

DEO TRIUNO ANNUNTE  
*Facultatum Amplissimâ Facultate consentiente*  
*in Illustri Witteberga*

SUB PRÆSIDIO

*Viri Amplissimi, Consultissimi atq; Excellentissimi*

**DN. HENNINGI Grossen / J. U. D.**  
& Prof. Publ. Juridicæ Facultatis DECANI Spe-  
ciatissimi, Curia Electoralis, nec non Judicij Infer. Lusat. Ad-  
sessoris gravissimi, & Sereniss. Viduæ Elect. Sax. in Lichtenburg  
&c. Consiliarij, Dn. Præceptoris, Fautoris, ut & affi-  
nis sui devoto honoris cultu atq; am-  
colendi.

*Publicè trutinandam proponit*

**CAROLUS FRIDERICUS SECK**  
Berlinensis Marchicus.

*Ad diem 14 Octobr. horis matutinis.*  
*In Auditorio Facultatis.*

WITTEBERGÆ,

Excusa typis AMBROSI ROTH Acad. Typogr.  
ANNO M. DC. XXXV.

12-

